Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2443
Quelle:
Copyright:

Peyrauta, Perault, Gallo, qui an. 1250. mortem obpetiit, vindicant, ipsa etiam scribendi ratione persuasi.

II. et quidem Fol. 136. habetur aliud Opus asceticum inscriptum *Liber de doctrina cordis*, divisumque in Tractatus VII. quorum conspectum rursum ex *Fol.* 1. p. 2. exhibemus: *Primus Tractatus est de preparatione cordis qui habet tres partes principales. Pars prima docet cor preparare sicut domus preparatur ad dignum hospitem recipiendum. Secunda pars docet quod debeat cor preparari domino ut cibus ad comedendum. Tercia pars ostendit quod cor preparari debeat ad modum sponse ut sponso suo placeat. Secundus Tractatus est de Custodia cordis sub similitudine vasis pretiosi. et nobilis castri ex omni parte obsessi &c. Tercius Tractatus est de apercione cordis ad modum libri qui aperiendus est ad legendum Et ad modum domus cuius ostium aperiri debet ad pulsantem intromittendum. Quartus Tractatus est de stabilitate cordis &c. Quintus Tractatus est de datione cordis videlicet cui. quare. et quomodo cor sit dandum &c. Sextus Tractatus est de Eleuacione cordis scilicet quare et quomodo cor sit leuandum &c. Septimus Tractatus est de Scissione cordis et cetera.* Prologus incipit: *Preparate corda vestra domino verba sunt samuelis in libro Regum. loquitur dominus predicatoribus* &c. Hinc forte factum, ut hoc Opus alicubi etiam *Speculum Concionatorum* inscriptum sit. Initio illius iterum repetitur: *Preparate corda uestra domino.* Finis vero est: *eternam letifice visionis securitatem concedat nobis deus omnipotens trinus et vnus super omnia benedictus per omnia s. s. amen.* Si de Autore Tractatus hujus in Bibliothecis passim adservati, quin et latine et gallice pluries typis procusi quaeras, est is, testibus *Quetifo* et *Echardo supracitt.* T. I. p. 248. F. *Gerardus Leodiensis* O. P. Scriptor Sec. XIII. quem illi *Divinum* aevo suo adpellatum volunt moti Codice quodam, cui inscriptum: *Sermones sunt hic Fratris Gerardi de Liege le Devin*, quod fortasse nil nisi agnomen familiae Viri hujus pii fuerit. Ad calcem nostri minio legitur: *Anno domini* M°.CCCC°.XXIIII°. *finiti sunt libri de erudicione religiosorum et de preparacione cordis ad laudem domini nostri ihesu cristi procurante fratre Angelo Abbate in Runa cuius anima requiescat in requie sempiterna cum omnibus fidelibus defunctis et cum domino nostro ihesu cristo. Cui cum patre et spiritu sancto sit honor et gloria per eterna secula seculorum Amen.* Runa antiquissimum in Stiria Ord. Cisterc. Coenobium est, cui hic *Angelus* cognomine *Mansee* laudatus Praesul, et ab Ernesto Duce ad Constantiense Concilium ablegatus ab an. 1399. ad an. 1424. praefuit. Vides itaque laborem anno ejus emortuali terminatum fuisse. De eo *Erasmi Frölichii Diplomat. sacr. Stir.* P. II. p. 49.

III. et quidem *Fol.* 209. *Incipit registrum de purgatorio sancti patricij.* Sequitur *Praefatio*,

quam